

cum *absolutum*, quod scilicet ultra datos limites augeri non possit, existit tamen infinitum mathematicum *relativum*; nempe in magnitudine qualibet finita concipi possunt partes numero infinitæ; sed infinitum illud mathematicum ad Metaphysicam non pertinet.

## ARTICULUS III.

### De Causis.

I. **C**ausæ nomine intelligitur ens illud, quod ad alterius existentiam, vel productionem confert, & ad ipsum producendum requiritur. Vicissim *effectus* nomine ens illud intelligi debet, quod aliqua ratione a causa pendet atque ab illa producitur. Itaque effectus omnis a propria causa distingui ipsaque posterior esse debet. Hinc veteres Ecclesiæ Patres ubi de divinis loquebantur, Patrem non *causam* sed *principium* Filii appellarunt, quod nimirum Filius ipso Patre posterior esse non possit, nec ab illo in substantia sive natura distinguatur, sed ipsi coæternus atque consubstantialis sit. Aliquando tamen Græci Patres causæ nomen ampliori quodam sensu usurparunt, Patremque Filii causam vocarunt, sed Filium Patri consubstantialem esse contra Arianos defenderunt. Itaque quanvis principium & causa aliquando confundi soleant, tamen latius patet principii nomen. *Principium* satis apte definitur id unde aliquid est, ac proinde omnis causa est principium, sed non viceversa. Hinc in defini-